



17.
DIATRIBA PHILOLOGICA
DE
PERANTIQUO TEUTONUM NOMINE
MARSCHALK.

ILLVSTRIS
ATQVE GENEROSISSIMI DN.
DOMINI
FRIDERICI GOTT-
HELFI MARSCHALLI,
E FAMILIA GREIFIORUM
ORIUNDI,
DYNASTÆ IN ERLEBACH, EINOEDE
ET ASSMANSTEDT,
SERENISSIM. PRINCIP. SAXO-
VIMARIENS. A CONSILIIS SANCTIO-
RIBUS,
SVMMI AVLÆ MARESCHALLI,
PRÆFECTVRÆ ROSSLAVIENSIS CAPITANEI SVPREMI,
INQVE CVRIA PROVINCIALI, QVÆ JENÆ EST,
ASSESSORIS GRAVISSIMI,
SOLEMNIBVS NATALITIIS
X. CALEND. MAII A. C. CIO IO CCXVIII.
FAVSTO OMINE REDEVNTIBVS,
SACRA.

VIMARIÆ, LITTERIS MUMBACHIANIS.

Hist. Saxon. D.

525, 20

Saxon. D. vol. 14 2/3

DIATRIBA ETHOLOGICA

RELANDIUM

MARSSCHALK

ATOVE GENETORUM DN

DOMINI

FRIDERICI GOTT

HELFMANNARSSCHALL

FAMILIA GRIFIORUM

GRIFIORUM

GRIFIORUM SAXO

GRIFIORUM

SOLIMANNUS



Illustris,
Generosissime, Domine Gratio-
sissime.



On æque illustriorum
gentium ullam in tot tamque
amplas abiisse familias & domos,
ac Marschallorum illam, &
amplitudine conspicuam, & an-
tiquitate illustrem, & gloria ma-
xime

xime florentem nouimus. Ex his haud ultimum locum occupauit **Greifiorum** familia, ea uidelicet, quam **TV, VIR Generosissime**, nomine non minus, quam omine refers. Modestiae **TVÆ** nisi parcendum mihi duxerim, haberem pene innumera, quæ deprædicanda multisque nominibus euehenda forent. Illustrium **TVO-RVM** maiorum laudes, a tot retro seculis repetitas, **TVA**que merita, quibus memoria eorum oppido facta illustrior, longius enumerare prohibitus atque exclusus, in præsentiarum saltem nomen, quod **TIBI** gentilitium est, pia deuotaque mente recolendum permittes. **TVA** enim, **VIR Gratosissime**, quam in me ornando tuendoue hætenus exstare uoluisti, gratia non potuit non nomen **TVVM** menti meæ augustum atque sacrum imprimere; & quo me pluribus mactatum beneficiis, ad grates eo obstrictiorem reddidit referendas. Publicum igitur grati deuotique animi internuncium significaturus, per opportunam mihi, ratus sum, affulsisse occasionem, solemni hoc die, qui fauente supremi numinis gratia natalitius **TIBI** contigit, deuota manu offerendi ea, uel qualiacunque sint, quæ de **Illustri TVO** nomine pie meditatus strictimque
com-

commentari ausus sum. Ex imo corde diuinum
auxilium imploro, ut post longæuos annos TE
una cum familia splendidissima, adspirante sua
felicitate, superstitem, nomenque **Marschal-**
lorum ære omni perennius esse iubeat. Quod
reliquum est, TE, **VIR Generosissime**, et-
iam atque etiam obsecro, æqui bonique ut con-
sulas, quod mihi tantum indulserim, purpurato
TVO nomini tam rude tamque tenue filium
assuere. **TVÆ** me gratiæ ulteriori commen-
do, eroque ad cineres

Illustris & Generosissimi TVI
nominis

Cultor deuotissimus,

CASP. BINDER.



§. 1.

PRiscam Teutonum præse quod ferat ætatem uox illa *Marschalk*, neminem, qui dubitauerit, esse arbitror. Jam in natales eius penitus inquirere, constitui animo. Leue nec non satis dignum summi Viri persona nullus institutum iudicabit, qui etymologiæ Germanicæ iucunditatem & utilitatem, quam præstat litterarum studiis, rite expenderit. (a) Non dubitarunt *Leibnitius* & *Meierus*, at quanti uiri! de uocibus Germanicis, quas multi forte friuolas disquisituque plane indignas habebunt, nimirum *Hànreh* & *Berenbüter* disquirere anxii, quin super his uoculis, ferram ducere reciprocam. (b) Quid igitur impedit, quo minus mentem calamumque ad inquirendos uocis tam celebris tamque nobilis applicemus natales? Longe maioris emolumen

(a) Conf. *Celeb. Jo. Ge. Eccardi* Diss. de usu & præstantia studii etymologici in historia. Helmst. 1707. habita.

(b) Vid. *Illustr. Leibnitii* collectanea etymologica, quæ post fata uiri doctissimi curante Cl. Dn. *Eccardo*. Hanou. 1717. prodierunt, Part. II. p. 269. seq. coll. p. 277. p. 308. seq. & p. 311. *Leibnitius* in literis ad *Job. Ludolfum* datis, se ipsum pungit, per iocum super hac re differens: dum passim deliberatur de republica, nos quoque de grauisimis argumentis tractamus, unde scilicet dicti *Bernhuter* & *Hahnreh*; magna utique diffusionis sua nomina, & cura nostra digna.

lumentem ex eiusmodi etymologia fore redundaturum, facile crediderim. Non quidem ea mihi mens est, ut adiumenti fulcimentique, nescio quod, Philologorum studiis hac mea opella accessurum uelim, tantumque abest, ut me, uana inanique persuasione indutus, crepem Oedipum, quin potius Dauum ingenue pronunciem, mihi quippe gnarissimum, quam curta ingenii apud me supellex sit. Nec me latet, ab aliis, iisque uiris apprime eruditis, uocem illam uice plus simplici excussam esse atque disquisitam. At uero uocem augustam tam angustis limitibus circumscriptam putare, ut ne spicilegium quidem post messem tantorum uirorum nobis relictum atque concessum sit, dictu nefarium. Olitorem etiam cum opportuna interdum locutum constet, firmo confido animo, nec has lineolas, uiliori licet conceptas stilo, ab ullo cordatiorum iri resputam.

§. 2.

Rem ipsam adgredior. Vox illa *Marschalk* apud nos hodie semper habetur nomen proprium, mox dignitatis, mox familiae induens significationem. Si dignitatem ea notamus, generaliori significato magistrum siue praefectum quemlibet, penes quem summa uel cura rerum, quibus praest, indicatum uolumus. *Marschalkorum* uero familias multas dari nouimus, sed, quae purpuratae sunt, omni in Germania numerabimus amplissimas atque antiquissimas. Nos quidem in praesenti utraque acceptio minus morabitur. Etymologiam curamus. *Marschalkorum* dignitates, & quae eisdem affinia, alibi leguntur descripta. (a) Hoc tamen notasse, e re fore iudico, quem-

ad-

(a) Fusius egit de his *Aug. Adolph ab Haugwitz* in pecul. tract. de regni & aulae *Marschallis*, Budissae, 1690. 4.

admodum sub antiquioribus Germaniæ temporibus, Germani simplicissimis gauisi sunt nominibus, a diuersa diuersorum euentuum ratione petitis, ita & uarias cum in familias abire coeperunt, ueteres nostri maiores uaria sua itidem uaria ratione, tum a uirtutibus uitiisque animi & corporis, tum a locis, quos incolebant, tum, idque frequentius, ab officiis & muneribus, quibus fungebantur, sortiti sunt cognomina. (b) Quo uero nobiliora, quæ præstabant, officia erant, eo præstantiora imponebantur nomina. Nomen illud *Marschalk* omnino inter eiusmodi nomina dignitatis referendum est, quæ familiis sua cognomina indidere hæreditaria. (c) Multa serie illustres quasdam *Marschalkorum* propagines atque familias recensuit *Haugwitzius*. (d)

§. 3.

(b) De impositione nominum apud ueteres, præsertim Germanorum, potior scriptor est *Mabillonius* de re diplomat. pasim, tum præcipue lib. II. c. VII. Nuper instar obseruationis eruditæ de nominibus & cognominibus Germanorum & aliorum populorum septentrionalium ueterum quædam commentatus est *Herm. Adolph. Meindersius*, Jctus Bilefeld. Reg. Boruss. a consil. iustit. & Gograuius Rauensberg. inserta Miscellan. Lipsiens. Tom. VI. Obs. CXXIII. De onomatothesia ueterum 3. programmata. b. præceptorem meum, *Phil. Grosgebauerum* quondam conscripsisse, quoque meminisse.

(c) *Meindersius* l. c. p. 17. bene monet: Multas familias nobiles ab officiis siue ministeriis publicis fuisse denominatas, quia ex illorum familia quidam tale officium administrarit, & cuius nomen uel cognomen toti familiæ adhæserit, patet ac manifestum est ex cognomentis familiarum illustrium, & nobilium eorum, qui ab officiis publicis, olim administratis, *Truchsesii*, *Schenckii*, *Marschalli*, *Adelschalci*, *Gograuii*, *Vogtei* fuerunt cognominati.

(d) l. c. p. 664. seqq.

§. 3.

Hodie semper apud nos nomen *Marschalk* ualere proprium, nunc accepimus. Nomina autem propria ab incunabulis suis appellatiua fuisse, imposita scilicet ab hominibus, non ex se & cum rebus simul orta, ex his iam adductis facile constat, & iam a Philologis passim notatum legitur. (a) Quos uero referat natales, quidue ab origine sua ueteribus Germanis significauerit, nostri instituti erit, indagare curatius.

(a) Vid. præter alios *Job Boedikerus* in thesibus linguæ Germanicæ p. m. 140. seq.

§. 4.

Nomen præterea esse compositum, prima eius facies nos edocet, conflatum ex uocibus apud ueteres oppido frequentioribus, *Mar* & *schalk*. Vtraque uox est monosyllaba, & hinc inde primitiua ut constituatur, etymologiæ Germanicæ ratio & natura postulat. (a)

(a) Conf. *Just. Ge. Schottelius* in opere de lingua German. p. m. 61, & *Boedikerus* l. c. p. 137.

§. 5.

A uoce *Schalk* incipimus. Ὑπεροπρωτων agere uidebimur. Sed in compositione nominum Teutonicorum ultimum tanquam potius & fundamentum respiciamus, necesse est. (a) Multifariæ a Philologis in explicanda atque euoluenda hac uoce ineuntur rationes. Illi procul dubio fallunt, qui ab Hebræo שליה missus, legatus tanquam fonte alieno petunt. (b) Eiusmodi enim nomina dari hybrida, ex Hebræa & Germanica

B

radice

(a) Vid. *Boedik.* l. c. p. 159.

(b) Conf. *Matth. Martini* Lexicon Philolog. sub art. *Marschalcus* p. 286. ubi plura de hoc nomine congescit.

radice congesta, exempla deficiunt. Alii rectiori insistant trami-
 titi, e Germania originem eius reuocantes, cum *Schalk* ue-
 terum Teutonum dicunt esse nomen, seruum denotans. Op-
 time uero ii sentiunt, qui hac uoce non solum seruum, sed
 quemlibet ministrum & officialem, etiam honoratioris, quin
 subinde principis conditionis, in suo ambitu comprehendi di-
 cunt. (c) Multis hoc exemplis comprobatum ire, super sedeo.
 Pauca eaque luculentissima profero. Ad sunt in promptu *God-
 schalk*, DEO inseruiens, *Wittischalk*, Wittiscalci (notante Schot-
 telio l. c. p. 431.) *Adelschalk*, minister Principis, isque præci-
 pue, cui Princeps bene de se merito *odal* h. e. possessionem,
 prædium concesserat. (d) Et ut ad tempora Caroli M. excu-
 ram, *Otfridus* Poeta German. celebris, illud Euangelii: Nunc
 dimittis seruum tuum, ita transtulit: fra laitais *Schalk* theina-
 na.

(c) Clar. *Meierus* in lit. ad *Leibnitium*, Etymolog. Collect. in-
 fert. p. 262. scribit: ad uocem *Marescalci* egregie obseruas,
 non tantum notare *scale* seruum, sed & quemlibet curato-
 rem, administratorem, id est, ministrum principem. Varia
 exstant exempla: *Godschalk*, minister DEI. Suedis *Adel-
 skalkar*, regis ministri.

(d) A uoce *odal*, Adel & ab hac *odellude*, Edellüde, iuxta dia-
 lectum super. Saxon. diphthongorum amantem, Edelleure
 descenderunt. *Meierus* iam laudatus, in Etymolog. Collect.
 Leibnitian. p. 289. occasione uocis *Arue*, Erbe ita disserit:
 Tales uocabantur alias ab *ode*, proprietate, *odalls*, propri-
 etarii terræ, (uti hodieque in lingua Scandica) nobis uo-
 cantur *Edellude*, qui in suo natiuo sensu nihil ante tempora
 Karoli M. aliud quid erant, quam proprietarii terræ, uel
 prouinciæ inhabitatores, atque ideo præcipui & summi; ex
 quibus proinde Comites, Duces, Grauii, id est, iudices eli-
 gebantur. Quod idem hodieque ex antiqua gente Frisice e-
 iusque institutis patet. Tantum ille.

na. (e) Exinde colligere licet, *schalki* uel *scalci* nomen ab sua origine semper honestioris atque nobilioris fuisse significatus.

(e) Conf. *Haugwitzius* l. c. p. 13.

§. 6.

Postea uero uox *scalk* aliam atque aliam significationem induit. Cum enim *Schalkis* a latere Principis uersantibus, consilio & prudentia opus esset, *schalk* hominem cautum & uafrum subinde notare cœpit. (a) Et tum prudentia degenerante in astutiam prauamque animi deformationem, *schalk* etiam hominem nequam notare cœpit, & hodie iam apud nos usu præualuit phrasis: *Er ist ein Schalk*, & deriuata inde: die *Schalkheit*, *Schalkhaftig*. Inde multa enata sunt composita, peioris significationis ducta: *Schalks liebe*, *Schalksauge*, *Schalksobr*, *Schalksrabt*. Hæc b. *Lutherus* in uersione. *Schalkkrank* & plura alia dantur, quæ congescit *Schottelius*. (b) Hoc uero non adeo noui & inauditi quid est statuere. Est in uariis linguis usu receptum, sunt uerba *Clar. Jo. Claubergij*, (c) ut uocabula a

B 2

melio-

(a) *Schottel*. l. c. p. 1393.

(b) l. c. p. 431. coll. p. 1393. sed in eo uir *Clariss.* fallitur, quod eius uocis significationem ab origine sua deteriore, honestiorem uero secutam esse, statuatur.

(c) in arte etymologica Teutonum, libello ut rarissimo, ita eruditissimo. *Duisburgi* A. 1663. in 8. primum prodiit. De nouo editus integreque insertus legi potest in *Collect. Leibnizian.* curante *Cl. Eccardo*. Regulas, quas suppeditat, excerptit iam *Morhofius* in doctrina de lingua German. & poesi p. m. 448. seq. nec non *Cl. Eccardus* in historia studii etymolog. linguæ German. cap. 27. p. 225. seq. Sententiam eius, qua nouo instituto, quæcunque Germanica e fontibus etiam Germanicis petenda docebat, suo calculo comprobatur magnique extollit idem *Morhofius* in *Polyhist.* p. m. 751.

meliore in sequiorem significationem transeant, ueluti *tyrannus*, *hostis*, *Pfaff*, *Schalk*, cuius significatio prima mansit in *Gottschalk*, seruus DEI. Adde ego nostrum, *Marschalk*. Vox *Knecht*, antiquiori ætate non adeo abiectioris conditionis ac hodie significabat hominem. Milites ea notabantur generatim. *Landsknechte* quondam [ex prouinciis conscripti dicebantur milites quicumque. Angli adhuc hodie primam significationem seruant in suo *Knight*, per illud militem, equitem, *Ritter* notantes. (d) Vox *Schalksknecht* itaque duplici ex capite notanda uenit. Hæc sufficiant de uoce *Schalk* disseruisse.

(d) Vid. *Boediker* l. c. p. 180.

§. 7.

Nunc progredimur ad alteram partem nominis *Marschalk*, breuibus dispiciendam. Vox *Mar* sensu suo natiuo nihil aliud notat, quam equum, hodieque nobis inde superest nomen *Maere*, equam significans. Vocem autem *Mar*, pro equo iam ueteribus Celtis usurpatam, attendit *Leibnitius* in annotat. ad Franco-Galliam *Jo. Henr. Ottij.* (a) Præterea luculenter hunc significatum confirmat, nobis hodie usitatisimum nomen *Marstall*, quo κατ' ἐξοχὴν stabulum, equis aulicis destinatum notamus. (b) In confesso igitur est, quod hæc significatio uocis *Mar* genuina, in exponendoque nomine *Marschalk* firma rataque habenda sit. Si uero fallant, necessum est, qui uel a *Mark*,
uel

(a) in *Collectan. etymol.* p. 23. *Marschal*, inquit, haud dubie a *mar* (hodieque *mehre*) equus & *schalc*, minister, officialis. Vox *mar* pro equo iam ueteribus Celtis usurpata. Nam illis *trimarchia* apud *Pausaniam*, turma trium equorum profunditate.

(b) Conf. *Car. du Fresne* in glossar. tom. II. f. 459. ad uocem *Marstalla*.

uel a *Mebrer*, uel a Gallico Maire, aliisque plane huc alienis petunt deriuationem. Varias in super uariorum sententias ex Autoribus suis heic adferre, & ad nauseam repetere, religioni mihi duco. (c) Ex his jam dictis fat edocemur, nomen *Marschalk* ui natiuæ compositionis suæ ministrum & officialem e- quorum principem significare. Conuenit cum antiquiori illo *Marstaller*, idem officium & munus denotans. (d) Acceptio- nem ergo nominis *Marschalk* ab sua origine & principio eque- strem tantummodo ponimus. Qua uero ratione eius signifi- catio ad alias quoque dignitates abierit, iam edisseremus pau- cis. Ante omnia probe notandum uenit, quod vox *Mar* non solum significationem equi, sed & equitum, quin uniuersi e- quitatus, quo Princeps stipatus incesit, per metonymiam sub- iecti induerit. (e) Repetimus, quod uox *schalk* non seruum uilioris conditionis, sed officialem & ministrum quemlibet de- notet, cui officia subinde nobiliora atque præstantiora admi- nistranda dedit Princeps, quemadmodum in uoce *Adelschalk*

(c) Conf. *Hofmannus & Martinus* in lexicis suis, quos sub art. *Marschal* longe docteque differentes inuenimus. Ut *Haugwitzium* taceam, quippe qui integrum caput de nomine *Marschal* suo tractatui præmisit.

(d) *Iust. Syn Schütz* in Colleg. publ. de stat. rei Rom. l. i. exer- cit. 7. th. 23. Electorem Saxonæ propter officium ex antiqua lectione Bullæ Palatinæ, des H. R. Reichs *Erz-Marstaller* uo- cat, notante *Haugwitzio* l. c. p. 7.

(e) Citante item *Haugwitzio* l. c. p. 10. *Tillet* au recueil des Roys de France &c. f. 290, par la figure hyppallage prenant chevaux pour gens de cheval. Et *Boediker* l. c. p. 187. *Marschall* ist vom altdeutschen Wort *mar*, so nicht allein den rei- sigen Zeug eines Fürsten bedeutet, sondern auch die iunge Ritterschaft und Edeling.

supra obseruauimus. (f) Hac ratione *Marschalk* item est, ac supremus equitatus officialis & minister, per excellentiam *Marschalkus* dictus. Ex quo enim Principis maiestas atque potentia apud veteres in equitatu maxime poni coepit, prorsus non mirum est, quod *Marschalkus* etiam summos honores inter Principis ministros quondam attigerit. (g) Pro instituti ratione hæc strictim dicta, in præsentī sufficient.

(f) Inde patet, quod non opus sit, ad uocem Germ. *schalt, schalten*, recurrere, eamque in medium uocare, quasi *Marschal* sit equorum uel equitum administrator & curator, quod *Boedikerum* l. c. fecisse miror. Eodem enim res loco recidit. Quando uero sæpius scribimus *Marschall* sine k, non æque etymologia postulante, quam usu sequioris ætatis, saltem hæc scriptio nititur. Veteribus semper *Marschalk* addito k scribitur. Et qui a *Schalt* ultimam syllabam deriuant, nullam rationem, pro suo t in fine absciso, quam regerant, inueniunt.

(g) *Boediker* l. c. Der Marschall ist der vornehmste Officier gewesen. V. *Greg. Turon.* hist. lib. 9. c. 38. l. 10. c. 5. Sein amt ist darin bestanden, daß alle andere Edeling, Edelknechte und Ritterschaft ihm zu Gehorsam verbunden gewesen und seines Gebots und Verbots geleben müssen. V. *Lehmann.* Chron. Spir. l. 2. c. 13. V. *Matth. Stephan.* de iurisdic.

§. 8.

Antequam finem impono, coronidis loco pauca quæpiam de urbe nostra *Weimar* subiicere, minus *αποπρω* fore censui. Seculum, & quod supra, est, ex quo maiores mei, a familiæ capite, *Petro Bindero*, ciue & senatore Lipsiensi oriundi, Lipsia heic Vimariam sese contulerunt, & post plurimos ex ea familia prognatos aliosego mihi nunc ualde gratulari possum de patria tam dulcissima nacta. Ingenue uero fateor, quod plus simplici uice etymologia nominis *Weimar* me tenuerit sollicitum. Æquus
Patriæ

Patriæ æstimator affectum meum minus taxabit. Vulgo urbs nostra scribitur *Weimar*, & antiquis sua dialecto *Wimar*. Solemnis atque uulgaris nominis eius euolutio est, quod e uocibus Germanicis, *Wein & Mark*, conflata uelint plurimi. Eaque de causa latino idioma nomen istud descripturi, *Vinariam* uertunt, siue per Græcum *οινάγορα*, oenāgora, forum uinariū designans. (a) Et ne quid desit, fingunt ulterius, quod ex urbe Jena eiusque confiniis multum uini huc Vimariam aduectum sit uenale, nundinis quasi uinariis in foro institutis. Et hæc sententia adeo trita & peruetusta est, ut ultra quingentos annos ponenda sit. A. 1702, peculiare schediasma de laude *Vinariæ*, ut titulus habet, a *Jo. Christ. Celio* auspiciis b. *Grosgebaueri* Rectoris, conscriptum prodiit, in eius principio etymologia quoque uocis *Weimar* inuestigatur, & inter alia MSCtum de A. 1278. documentum sane peruetustum, in sententiæ huius patrocinium prouocatur. A. 1598. *Caspar Facius*, Consiliar. aulic. Altenburg. qui descriptionem *Vinariæ* nostræ in for. 4. publicauit, (b) eidem sententiæ adstipulatus uidetur, quantum colligo ex uerbis, quæ in sched. illo de laude *Vinariæ* allegantur. Ibidem *Job. Stigelij*, Poetæ alioquin optimi, recitatur poema seq.

Urbs

(a) Ita uertit. *Jonas Gleinerus*, scholæ quondam de A. 1616. *Vimariensis* Conrector emeritus in carmine, quod *Olearius* syntagmati suo rerum *Thuringic.* Tom. II. p. 251. seqq. integrum inferi curauit.

(b) In celeb. *Struuii* bibliotheca histor. p. 592. uitio typographico *Bonifacius* exprimitur. *Pfefferkornius* in *Chron. Thuring.* p. 300. annum publicationis facit 1595. qui uero illorum fallat, me fugit, cum nunquam tractatum istum oculis usurpandi subnata sit facultas. *Umnio Casp.*

Bonifacius nōatur: uid. erat. ei
nunc inter meos libros extantem.
Corrigendū igitur Pfefferkornij.

Bonifacius
nōatur: uid. erat. ei
nunc inter meos libros extantem.
Corrigendū igitur Pfefferkornij.

Vrbs quoque cum primis, quæ nomina duxit
ab uuis,

Quam gelidas modicis alluit Ilmus aquis.

Huic uero sententiæ etymologiæ Germanicæ ratio atque natura negat subscribere. Contra eam enim omnino uidetur illa deriuatio impingere, quando ex uoce *mar* Germanorum *Mark* effingit, & alteram *Wei* uel *Wi* conuertit in uocem *Wein*. Cur enim in utraque literæ radicales *k* & *n* extrudantur in compositione, ego non uideo. Cautius quidem ex parte *ii* agere uidentur, qui *Winmar* uel *Weinmar* scribunt. Jam A. 1569. *Job. Wolfius*, Rector, delineationem urbis Vimariæ edidit, in cuius subscriptione se *Winmariensem* dicit. In carmine quodam, in augurationi ædis Jacobæ A. 1713. destinato, duo diplomata de A. 1293. & 1278. simul exhibentur. In illo urbs nostra *Winmar*, in hoc & quidem antiquiori *Wimar* audit. Posterius illud *mar* procul dubio antiquum illud est, de quo iam in uoce *Marschalk* egimus. Nomina urbium *Marburg*, *Marbach*, *Markirch*, *Calmar*, *Frimar*, *Webmar*, *Wismar* præbent exempla oppido manifesta. Sed prius illud *Wi* nos tenet dubios. Si *Win* ab origine prima sua genuinum esset, facillimum foret enodatu. *Win* enim idem est, quod nobis per diphthongum in dialecto super. Saxon. *Wein*. Antiquissima uero, quæ exstant, documenta semper legunt *Wimar*. Quid ergo *Wi* sibi uelit, explicandum remanet. Forte ab antiquo *Wibi* uel eius simili quo enata est uox *Wi*. *Leibnitius* in *Collect. Etymol.* p. 190. sequentia habet: *Wibem*, *Wibemu*, i. e. Christus, sanctus, sacer $\epsilon\zeta\omicron\chi\omega\varsigma$. *Wibi* Otrifido sanctitas. *Wyen* Belgis & Sax. infer. est consecrare. *Weyben* super. Saxon. *gewyt*, sanctum, consecratum. Hinc *Weihnacht*, id est, nox sacra, usurpatur de natali festo Domini. *Wibida* reliquiæ sancto-

sancto-

sanctorum. *Wibiu*, sanctus. Tantum Leibnitius. Si hoc modo ex *Wib* & *Mar* compositum esset, notarentur per *Wimar* equitatus sacratus, equestria, militia equestris sacra & selecta. Hoc enim nihil nos morari potest, quando litera h elisa conspicitur. Bene iam notauit *Boediker* l. c. p. 141. primitiuo desinenti in uocalem simplicem, addi debere literam h e. g. *Reh*, *Stroh*, *Weh*, quod ergo in compositione sua extra casum iam positum, iterum uacare posse puto. Parum referret, scribere *Weien* uel *Weiben*, nisi hoc sequioris ætatis usus comprobasset. Quando *Weimar* scribitur, hoc fit iuxta nostram dialectum super. Saxon. uocales simplices ut plurimum in diphthongos conuertentem. (c) Nec impedit rem, quod subinde scribatur in antiquioribus diplomatibus per y. Theotiscis enim i & y libere permutari, nec hos unquam per y uoces ab illis, quæ cum i apparent, distinguere, docta est obseruatio celeberr. *Dieckmanni* (d) Eandem etymologiam nominis *Weimar* iam pridem meditatus est Vir Magnif. & Reuerend. *Job. Kleffen* in notis, quas carmini gratulatorio *Clar. Frankij* nostri poematis German. subiuncto, adspargere lubuit. Interim hoc certum atque expeditum est, quod syllaba *mar* in nomine *Weimar* pessime per *Mark* uertatur. Exinde *Phil. Ferrarius* in Lexico Geograph. *Vimaria* bene scribit, idemque obseruauit *Hofmannus* in Lexico suo Tom. II. *Vinaria* autem est oppidulum Palatinatus inferioris,

C

ris,

-
- (e) Multis exemplis hoc illustrauit *Bernb. Raupachius* in disp. de linguæ Saxonæ inferioris neglectu atque contemptu iniusto p. 33. A. 1704. Rostochii habita.
- (d) in diatriba, qua in genuinos natales uocis Teutonicæ *Kirche* inquirat, eosque noua quidem, sed docta hypothesis, non in Græcia, sed Germania constituendos docet, Stadæ sub exitu superioris anni edita, p. 20.

ris, uulgo *Weinheim*, in uia montana, seu tractu Bergstras,
iterum docente *Hofmanno*. Sed quicquid demum est, optime
iam *Leibnitius* (e) pronunciauit: *Etymologica res coniecturis,*
non demonstrationibus agitur; & credo, ueras interdum esse
origines, quae minime sunt uerisimiles: casus enim in lin-
guarum mutationibus magis, quam consilium
dominatur.

(e) in lit. ad Ludolf. Collect. Etymolog. insert. p. 311.



H. Sas. D. 525, 20.